

1528

*Lautrechii
morbus.**Hispanorum
excursiones.**Lautrechii
obitus.**Salaffiorum
Marchionis
in Lautre-
chii locum
successio.
Capua ad
partes Cæ-
saris acce-
dit.
Gallorum
exercitus
Aversam
petit.*

nam, ac militaria studia negligere; nullus ordo; non parere ducibus; summa omnium rerum desperatione ingens victoriæ spes commutata; quamplures castra deferere; duces, ut saluti consulerent, ab exercitu discedere; reliqui in castris morbo correpti nihil ad præsentem rerum statum, fortunamque sublevandam moliri. Tandem Lautrechius curarum ingenti mole pressus decubuit; cum undique circumstantia pericula cerne-
ret, feraque poenitentia actus, quod magis sibi ipsi fidere, quam aliis credere voluisset. Igitur morbi vi intrepidam mentem, vividamque animi aciem consternante, neque quidquam agere, neque consilia capere valebat: reliqui duces nimia illius severitate deterriti cautius, ac segnius res gerebant. Ipse aliquantisper morbo levatus, nonnihilque pristini vigoris assumpto, lapsa restituere, reluctantes præceptis milites poenis coercere, augere copias nitebatur; nonnullis Epirotarum equitum turmis Surrento Venetis militantibus evocatis; Florentinos urgendo, ut duo millia peditum in supplementum exercitus mitterent. Verum nulla vi, nullo conatu impendenti jam fortunæ obsisti poterat: quantum enim foederatis copiis animorum ademptum, tantum hostibus auctum fuerat, qui quotidie mœnibus egressi usque ad Gallorum castra excurrebant; impedimenta, calones, & lixas abducendo, itinera infesta reddendo, regionem circumquaque vastando, ac ne a Veneta classe aliquid in castra inveheretur, prohibendo. At Lautrechius denuo multis laboribus, & solitudinibus confectus, graviori morbo correptus xvij. kal. septembris excessit.

In Salaffiorum Marchionem ob illius obitum omnium rerum pondus inclinabat. Is, reliquis ducibus in consilium vocatis, castra movere decrevit; cum præcipue Capua in potestatem Cæsareanorum concessisset: qua ex re non parum incommodi exercitui accesserat, ac sese quoque recipiendi difficultas addita fuerat. Itaque copiis tria in agmina distributis, silentio, ut hostibus insequendi facultas eriperetur, iij. kal. septembris, oriente sole, iter Aversam arripuere. Neque vero Cæsareanos foederatorum discessus ita latere potuit, quin extremam aciem adorti, quam Palissius, & Camillus Triultius ductabant, magno Gallis detrimento fuerint; quamplurimis fugatis, atque inter-